
I. O. Slangendorp

De utraque

Specie Sacramenti.


Hafniæ 1592.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

3, - 171.

LN 1500
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

# PROBLEMA

περὶ τοῦ ἀμφοτέρου εἴδους τῆς κοινωνίας,

*Id eſt:*

# DE VTRAQVE SPE-CIE SACRAMENTI, PAVCARVM THESIVM

ἐπισημασίᾳ propoſitum, & τοῖς ποτηριοκλέπταις oppoſitum, ad quod σὺν Θεῷ Præſide IOHANNE OLAI SLANGENDORPIO:

*Reſpondebit*

*OLAVS BRENDERVS HAFN.*

*Die III. Maij, Anno Domini*

*M. D. XCII.*

*HAFNIÆ,*

*Impreßit Laurentius*
*Benedictus.*

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

1259

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

I.

PRoxima Diſputatione de Profanatione ſacrificij Chriſti, in Miſſa pontificia dictum eſt, ſequitur nunc vt concinna quadam breuitate, vicinam quæſtionem tractemus, hoc eſt, vt problema proponamus περὶ ἀμφοτέρου εἴδους τῆς κοινωνίας, id eſt, de vtraq; ſpecie Sacramenti. Oro autem Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt is nos ſuo ſancto Spiritu, deducat in omnem veritatem, repreſſo Spiritu mendacij & erroris.

II.

Teſtamentaria Chriſti inſtitutio: Eſt certa norma, adminiſtrandæ Euchariſtiæ à Chriſto in vltima cœna inſtitutæ, in ipſius memoriam, & obſignationem fidelium.

III.

Sed partium de norma huius teſtamentariæ inſtitutionis diſſidentium, hoc & ſuperioribus ſeculis, ſententiæ, aut ſunt affirmatæ aut negatæ & contradictoriæ, ita, vt alteram tantùm ſententiam eſſe veram, oporteat, ex prima illa luce ratiocinationis: De re quaq; veram eſſe affirmationem aut negationem.

IV.

Affirmatæ ſunt multorum piorum, qui pontificij iugi & tyrannidis impatientes, à ſceleſti decreti authoribus, teſtamentum Chriſti inani vaframento mutilatum, integrum & illibatum repoſcunt: idemq; per multorum ſeculorum decurſa fortiſsimè propagatum ſpatia, excellentiſsimis & infallibilibus ſcripturarum teſtimonijs illuſtratum & auctum, ne diuturnior hominum authoritas, ad extremam gloriæ Chriſti iacturam laceret aut demutilet, ſed vt edictum reuocet, ſententiamq; ſoluat, petunt.

V.

Affirmantium rationes aut ſunt expreſſa teſtimonia ſcripturarum, aut ex teſtimonijs argumenta certiſsima conſequentiâ exſtructa.

VI.

Teſtimonia ſunt ſcriptura ſacra & norma veritatis ſupernaturalis, hoc eſt, diuinitùs patefactæ & reuelatæ.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

VII.

*Nam certiſsimam normam habent ſcripturarum teſtimonia. Etenim ſecundum hanc verum eſſe iudicatur, quicquid in Theologia præcipitur & docetur, ſi cum ea congruat, falſum ſi ab ea diſcrepet.*

IIX.

*Cæterùm quia præcipua controuerſia problematis, conſiſtit in cauſis eſſentiam huius Sacramenti conſtituentibus. De his ſcriptura ſacra docet, cuius teſtimonia exſtant aut in libris Euangelicis aut Apoſtolicis.*

IX.

1. *In Euangelicis libris, Mattheus qui octauo anno, vt Theophilacto & Athanaſio placet, vel vt Irenæo & Euſebio videtur, cùm Paulus iam Romæ Euangelizaret, hoc eſt, anno à reſurrectione Chriſti vigeſimo primo, Euangelium ſuũ in Iudæa ſcripſit & Iudæis reliquit, cùm ad gentes prædicatum proficiſceretur. Quiq; quia & primæ inſtitutioni Euchariſtiæ interfuit, non auritus, ſed oculatus teſtis, haud dubiè ea quæ cum dicta & acta coràm vidit & audiuit, optima fide Eccleſiæ tradidit & conſignauit. Is 26. cap. verſ. 27. alteram Euchariſtiæ partem de calice, inſignibus verborum luminibus & peculiari Emphaſi illuſtrauit: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus qui eſt noui Teſtamenti, &c.*

X.

2. *Marcus qui biennio poſt Mattheum ſuum ſcripſit Euangelium, quanquam non* αὐτόπτης *fuit, ſed vt reliqua ipſius Euangelica hiſtoria, Matthei Epitome eſt, tamen prorſus ferè cum Mattheo congruit. Is enim rogatu fratrum Romæ Euangelium ſuum ſcripſit, quod Petrus vidit & comprobauit ſua authoritate, ſicut Clemens & Hieronymus referunt. Quanquam Irenæus ab his diſſentit, affirmans poſt obitum Petri & Pauli, Marcum Euangelium ſuum edidiſſe. Hoc vtut ſit, diſertè ſanè Marcus 14. cap. verſ. 23. de calice inquit: Et accepto poculo cùm gratias egiſſet, dedit illis. Et biberunt ex eo* OMNES.

XI.

3. *Lucas Apoſtolorum diſcipulus & comes peregrinationum, ac ſocius laborum Pauli, ex traditione eorum, qui ab initio ſpectatores & miniſtri Chriſti fuerunt, anno 15. vel vt Theophilactus 10. poſt aſcen-*

ſionem Domini, repetitionem cœnæ Dominicæ literis mandauit, verba inſtitutionis repetens, ( quæ Paulus ſe à Chriſto, ſedente ad dexteram patris, poſt aſcenſionem in cœlos accepiſſe teſtatur ) quare cap. 22. verſ. 17. & 20. ( quod diligenter obſeruandum eſt ) oſtendit Chriſtum voluiſſe parem rationem eſſe in diſpenſatione & vſurpatione vtriuſq; partis. Etenim abſoluta deſcriptione, de diſpenſatione prioris, addit ὡσαύτως: Similiter accepit & dedit etiam calicem. Atq; hactenus Euangelici libri.

XII.

Ex Apoſtolicis libris accedit traditio Apoſtolica Pauli. Qui circiter annum Domini 54. ſed ſecundum Theophilactum 20. formam cœnæ à Domino ſeruatam & mandatam repetijt, dicens: Ego enim accepi à Domino quod tradidi vobis. Et licet ipſe inter Apoſtolos præcipuus, non tamen hoc ſibi ſumere vel voluit, vel auſus fuit, vt in adminiſtratione & vſu huius tanti Sacramenti, quod teſtamenti appellationem habet, ſua authoritate aliquid vel præciperet vel prohiberet, ſed Domini præceptum & mandatum repetit & allegat: ACCIPITE, EDITE, BIBITE, ac etiam vtitur particula ὡσαύτως, oſtendens mandatum Chriſti, neq; tantum ad Sacerdotes, ſed ad omnes vocatos & ſanctificatos in Chriſto Ieſu, nec minùs pertinere ad calicem quàm ad panem. Ac idem quando vult ſignificare, Diaconos non ſecùs quàm Epiſcopos debere irreprehenſibiles eſſe, vtitur particula ὡσαύτως, 1. Timoth. 3. verſ. 8, Atq; vſq; huc μαρτύρια γραφικὰ perſpicua & clara de diſpenſatione vtriuſq; ſpeciei, ſequuntur ratiocinia.

XIII.

Ratiocinia affirmantium diſpenſationem vtriuſq; ſpeciei, aut colliguntur ex ſuperioribus ſcripturæ teſtimonijs, tum alijs ſimilibus & inuicta conſequentiâ concludunt, aut exemplis.

XIV.

Ex ſuperioribus teſtimonijs, vt primum argumentum rectè exſtruamus, quod veluti fundamentum & baſis erit totius diſputationis, hanc hypotheſin præmittemus.

XV.

Si de Sacramentis ex ipſorum inſtitutionibus iudicandum eſt, nulli piorum dubium eſſe vel poteſt, vel debet, vnicam & ſolam

illam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

illam rationem, adminiſtrandi, diſpenſandi & vſurpandi Sacramenta, quod ad ipſorum ſubſtantiam attinet, optimam, rectiſsimam & tutiſsimam eſſe, quæ in inſtitutione ipſorum, ab ipſo filio Dei tradita eſt. Sacramenta enim non naturâ creantur, vel humano artificio formantur: Sed inſtitutio filij Dei, accedens ad elementa ab ipſo ordinata, facit Sacramenta: Si verò inſtitutio filij Dei vel tollatur, vel adulteretur & mutetur, nulla ratione vel haberi vel confici poſſunt Sacramenta. Hoc axioma nullo modo labefactari poteſt. Quare certa & ἀμεταπτώτῳ conſequentiâ ſic colligo.

XVI.

1. Inſtituere aliquid contra mandatum diuinum eſt peccatum, turpiſsimum mendacium & ἀντικείμενον verbo atq; inſtitutioni Chriſti. Spoliare Eccleſiam calice Chriſti, pugnat cum mandato diuino. Ergo ſpoliare Eccleſiam calice Chriſti, vel vt vocant, prohibere alteram partem Sacramenti, grauiſsimum eſt peccatum, turpiſsimum mendacium & ἀντικείμενον verbo Dei. Maior eſt vera Galat. 1. verſ. 8. Apocalyp. 22. verſ. 18. &c. Minor quoq; vera. Nam Chriſtus clarè dixit ac ſimul iuſsit: accipere & comedere ſuum corpus & bibere ſuum ſanguinem. Et Paulus, probet ſeipſum homo, & ſic de hoc pane edat & de calice bibat. Peccant ergo, vt piè Lutherus & Philippus Melancthon inquiunt, qui ab ea forma diſcedunt.

XVII.

2. Si immota eſt conſequentia præcedentis ſyllogiſmi, vt ſanè eſt, nec vllam contradictionem admittit, certè hæc ratio poteſt non vehementer mouere pias mentes, quando vident facta diſceſsione ab ipſa inſtitutione filij Dei, illud, humana authoritate mutilari, mutari & diuelli, quod verbum Dei affirmat: Chriſtum ſimiliter eodem modo & coniunctim inſtituiſſe: cùm quidem immotum ſit fundamentum, inſtitutionem ſeruandam eſſe, vt certi ſimus nos habere verum Sacramentum. Sed nulla alia exſtat inſtitutio Euchariſtiæ, quàm hæc quæ tradit ſimiliter inſtitutam eſſe diſpenſationem & vſurpationem vtriuſq; partis. Ergo quoq; nulla alia excogitari debet.

XIIX.

3. Cùm ergo ſui teſtamenti calicem in cœna Dominica diſpenſandum & bibendum, omnibus ijs, pro quibus ſanguinem ſuum effudit,

 inſtitue-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

inſtituerit, cumq; teſtamentum illud filius Dei mediator, in ea nocte quâ tradebatur condidit, illudq́; effuſione precioſiſſimi ſanguinis obſignauit, & in illo non terrena & caduca, ſed cœleſtia & æterna bona Eccleſiæ ſuæ legauit: horrenda profectò audacia eſt, vſum teſtamentarij huius calicis, maiori parti Eccleſiæ eripere & prohibere. Nam ſi licebit ordinationem Chriſti in Sacramentis mutare, licebit & in cæteris. Nihil igitur firmum habebit ſcriptura. Ergo totus Chriſtus euacuatur, Euangelij adminiſtratio nulla eſt. Quare & nemo niſi Antichriſtus indignetur Eccleſiam ſponſam petere & flagitare, ſponſi ſui teſtamentum intemeratum & integrum ſibi reſtitui, vt vtraq; parte vel ſpecie Sacramenti vtatur, iuxta ordinationem, mandatum Chriſti & verba Pauli.

## XIX.

4. Cæterùm ſi valebit vniuerſalis hæc ſententia, quæ in ſcripturis ſæpiùs repetita eſt: Mandatis Domini nihil addendum aut detrahendum: non eſſe ab ijs declinandum, ſiue ad dexteram ſiue ad ſiniſtram. Et grauiſſima eſt ſententia Cypriani lib. 2. Epiſt. 3. Si ne vnum quidem ex minimis mandatis legis ſoluere decet: multò minùs ex his magnis mandatis, pertinentibus ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemptionis Sacramentum, fas eſt vllum infringere, vel humana traditione mutare. At Chriſti mandatum (HOC FACITE) vtrumq; complectitur, tum quid miniſtri Eccleſiæ in adminiſtratione & diſpenſatione Euchariſtiæ: tum quid fidelis populus in ſumpſione ſeu vſurpatione facere debeat: hoc ſcilicet, quod in prima Dominica cœna factum eſſe in deſcriptione inſtitutionis legimus. Illa verò tradit, vtrumq; & panem & poculum Domini ſeorſum & diſpenſatum & ſumptum fuiſſe. Ergo hoc mandatum eſt perpetuum & vniuerſale, vt ſcilicet, illud quod in prima illa cœna factum eſt, porrò vſq; ad conſummationem ſeculi in Eccleſia fiat. Atq; ita fuerunt ratiocinia hæc pauca ex teſtimonijs ſuperioribus exſtructa, ſed vnum adhuc addam ex ſimili ſcripturæ loco, nempe Epiſtolæ ad Gal. cap. 3. verſ. 15. deſumptum.

## XX.

Connexum. Si hominis teſtamentum reſcindere non licet: multò minùs Chriſti teſtamentum reſcindere licebit. Retexitur ad hunc

modum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

*modum, & à loco comparatorum maioris & minoris digeritur. Si licet Chriſti teſtamentum reſcindere, licebit multò magis hominis. At non hominis teſtamentum reſcindere licet. Multò igitur minùs licebit Chriſti teſtamentum reſcindere. Hæc maior erit τοῦ πρότου συλλογισμοῦ. Atqui cœna Domini eſt teſtamentum ab ipſo conditum. Ergo cœnam Domini mutilare nequaquam decet.*

## XXI.

*Argumenta ab exemplis ſunt aut ipſorum Apoſtolorum, aut veteris Eccleſiæ.*

## XXII.

1. *Apoſtoli ſuo exemplo nos inſtruxerunt in myſterio cœnæ, ſimplici obedientia inhærendum eſſe inſtitutioni & mandato filij Dei, & contra expreſſa verba inſtitutionis, nullas admittendas eſſe vel rationes vel argumentationes. Ergo non iudicarunt vſum calicis, vel eſſe arbitrarium, vel poſſe prorſus intermitti. Antecedens probatur 1. Corinth. 11. verſ. 28. vbi Paulus & de pane & de calice pariter inquit: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo comedat & ex poculo bibat. Hæc ſunt verba diſponentis. Et quidem præfatur: vt qui ſint vſuri cœna Domini ſimul vtantur. Ergo vſum vtriusq; partis accepit à Domino. Quod ergo Apoſtoli fecerunt, nobis poſtmodum faciendum exemplo ſuo mandarunt.*

## XXIII.

2. *Manifeſtum eſt quòd vetus Eccleſia vſa ſit vtraq; parte, multis annis. Ergo teſtimonia antiquitatis præbent multas firmiſſimas rationes, contra pontificiam mutilationem cœnæ Dominicæ. Conſequentia probatur. 1. In tota antiquitate, non exſtat illa pontificiorum ſententia: inſtitutionem calicis pertinere non ad laicos, ſed ad ſolos Sacerdotes, imò diſertè refutatur hæc ſententia à veteribus. 2. Veræ antiquitati ignota eſt illa pontificia diſputatio, cùm Chriſtus integer & totus ſit ſub vtraq; ſpecie, ideo non neceſſariam eſſe communionem ſub vtraq; ſed ſufficere ſub alterutra ſpecie, contrarium exſtat in Scholaſticis ſcriptoribus. 3. Reliqua etiam pontificiorum argumenta, pro defenſione vnius ſpeciei prorſus ignota ſunt antiquitati. 4. In tota vera antiquitate non exſtat dogma illud dogmaticè diſputatum & tractatum, cœnam Dominicam in legitimo & ordinario Eccleſiæ*

conuen-

*conuentu, vel debere vel poſſe ita adminiſtrari, vt populo tantùm vna eius pars diſpenſetur. 5. Cùm aliquoties tractaretur calicis auulſio à ſacra communione fidelis populi, purior antiquitas reſtitit, & ſacrati calicis vſum in communione Eccleſiæ ex verbo Dei defendit. Atq; hactenus affirmantium rationes, ſequitur negantium σύνταξις.*

## XXIV.

*Negantium rationes ſimiliter vel ex ſcripturis depromuntur, vel ex ratiocinijs.*

## XXV.

*Scriptura autem quia teſtimoniorum copiam non ſuppeditat, Papiſtæ ſicut timidi pugiles comminus inſtare veriti, ſpiculis procul agendum curant, & ad ratiocinia dialectica confugiunt, quorum rudem & indigeſtam molem, cùm ne numerus quidem præcisè capiat, operæ iacturam, non minùs quàm temporis ponderans, eam in commodiorem locum reijcio, cùm certè nihil aliud pontificij ex malè detortis ſcripturæ ſententijs & paralogiſmis dialecticis aſſequantur, quàm quod Auguſtinus contra literas Petiliani inquit:*

*Ambigua & peregrina teſtimonia malam*
*cauſam vel moras faciendo*
*ſuſtentant.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1500 4°